

**Zeitschrift:** Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte = Revue d'histoire ecclésiastique suisse

**Herausgeber:** Vereinigung für Schweizerische Kirchengeschichte

**Band:** 5 (1911)

**Artikel:** Vatikanische Aktenstücke zur Schweizerischen Kirchengeschichte aus der Zeit Johannis XXII.

**Autor:** Rüegg, F.

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-119877>

### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 22.07.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

**Vatikanische Aktenstücke  
zur Schweizerischen Kirchengeschichte aus der Zeit  
Johanns XXII.**

---

27. Agnes von Châlons, Gräfin von Genf<sup>1</sup>,  
erlangt die Ermächtigung, in ihrer neuerbauten Schloßkapelle  
zu Cruseilles Gottesdienst abhalten zu lassen.

1328 Juli 7. Avignon.

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti de Cabilone,  
comitis Gebennen.

30.] In his, que animarum salutem respiciunt, libenter favoris apostolici presidium impertimur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu in castro Crusilie ad te spectante, Gebennen. dioc., quandam capellam ad laudem Dei et gloriosissime virginis Marie matris eius edificari fecisti, in qua perpetuo missarum solemnia et alia divina officia debeant celebrari, ipsamque pro sustentatione servitorum ipsius congruis redditibus dotare proponis. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati : quod, postquam dicte capelle iuxta diocesani loci arbitrium per te dos sufficiens fuerit assignata, liceat tibi per idoneos presbiteros in eadem capella divina officia facere celebrari quodque ius presentandi perpetuos capellaneos ad capellam predictam tu tuique successores et heredes in castro predicto perpetuis futuris temporibus habeatis, devotioni tue auctoritate presentium concedimus de gratia speciali. Nulli ergo etc.

Dat. Avignon. nonis iulii, a.<sup>o</sup> 12.

Reg. Vat. 88 fo 56 n<sup>o</sup> 3149.

<sup>1</sup> Gemahlin des am 22. Mai 1308 verstorbenen Grafen Amadeus II.

28. Johann, erwählter Bischof von Langres  
und päpstlicher Administrator von Basel,  
erlangt für sich die Vergünstigung, daß sein Beichtvater ihn auch  
in sämtlichen Reservatfällen lossprechen könne.

1328 Juli 31. Avignon.

Dilecto filio Johanni electo Lingonen, administratori ecclesie Basilien. in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputato.

30 A C.] Virtutum insignia, quibus prout testiomniis fide dignis accepimus insignitus fore dinosceris, promerentur, ut petitionibus tuis in hiis potissime, que tue salutis comodum et mentis tranquillitatem respiciunt, oportunis favoribus annuamus. Volentes itaque te premissorum meritorum tuorum intuitu necnon consideratione carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustris, pro te consanguineo suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, prerogativa prosequi gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati: ut aliquem idoneum sacerdotalem religiosum vel secularem in tuum possis eligere confessorem, qui tuorum peccaminum ista vice confessionem audiat tibique auctoritate apostolica super illis etiam in casibus sedi apostolice reservatis beneficium absolutionis impendat teque nihilominus a sententiis canonis vel hominis hac vice, si quas forsitan incurristi iuxta formam iuris absolvat, necnon tecum super irregularitatibus, si quas taliter ligatus celebrando divina vel te illis immiscendo et etiam, si propter guerram per te motam tempore, quo per apostolicam sedem prefectus Basilien. ecclesie tunc et adhuc vacanti in episcopum et pastorem eius reginem tanquam verus sponsus ipsius legitime exercebas, contra Artungum <sup>a</sup> Monachi, clericum, tunc eandem ecclesiam detinentem, sicut et adhuc detinet occupatam, de mandato tuo homicidia mutilationes et vulnera in clericos vel laicos, qui eidem Artungo contra te auxilium impendebant, quominus pacificam possessionem episcopus Basilien. assequi posses, necnon domorum et segetum incendia sint secuta, nosceris contraxisse, valeat plenarie dispensare, devotioni tue auctoritate apostolica concedimus de gratia speciali. Nulli ergo etc.

Dat. Avignon. 2. kal. aug., a. 12.

Reg. Aven. 31 fo 11, n<sup>o</sup> 2618. — Reg. Vat. 87 fo 233, n<sup>o</sup> 2618.

<sup>a</sup> Reg. Aven. et Vat.: Artundum.

29. Der Kardinal Johann, Titular von S. Croce<sup>1</sup>, erhält den Auftrag, die Resignation des Ebaldu Uboldi auf sein Kanonikat in Sitten und das Rectorat der Pfarrkirche zu Vesch anzunehmen, nach sorgfältiger Erforschung der Gründe.

1328 November 13. Avignon.

Dilecto filio Johanni tituli S. Crucis in Jerosolima, presbitero cardinali.

24.] Cum sicut accepimus dilectus filius Ebaldu Uboldi, canonicus Sedunen. ac rector parochialis ecclesie de Vex Sedunen. dioc., canonicatum et prebendam sacerdotalem ecclesie Sedunen. ac parochialem ecclesiam supradictam, quos obtinet, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis intendat ex certis causis rationabilibus libere resignare, nos votis eius in hac parte favorabiliter annuere cupientes: discretione tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtainemus, recipiendi auctoritate nostra etiam apud sedem apostolicam ab eodem Ebaldo vel procuratore suo, ad hoc ab eo legitime constituto, resignationem liberam canonicatus et prebende ac parochialis ecclesie, iurium et pertinentiarum predictorum plenam auctoritate presentium concedimus facultatem; ceterum cum non sit verisimile, quod quis beneficia sua multis forte laboribus acquisita, ex quibus vite subsidium percipit, sine magna causa sponte resignet, attente provideas, ne ex parte ipsius Ebaldi vel alias aliqua in premissis pravitas quomodo-libet intercedat.

Dat. Avignon. idibus nov. a. 13.

Reg. Vat. 89 f° 160, n° 395.

30. Der Bischof von Lausanne wird aufgefordert, einen rückständigen Zehnten der päpstlichen Kammer nunmehr unverzüglich zu entrichten.

1328 Dezember 4. Avignon.

Venerabili fratri episcopo Lausanen.

Licet super decima triennali, per nos dudum in eis sicut in nonnullis aliis partibus imposta, pro necessitatibus Romane ecclesie utilius relevandis in tuis civitate et diocesi colligenda tam tibi, frater, quam predecessori tuo alias direxerimus scripta nostra, nichilominus per cameram nostram tibi scriptum, sicut intelleximus, fuerit, ut pecuniam huiusmodi decime ad

<sup>1</sup> E u b e l, Hier. cath. erwähnt diesen Kardinal nicht.

ipsam cameram, illa egentem plurimum propter varia negotia ecclesie memoratae incumbentia, destinare curares. Miramur quam plurimum, quod pecuniam non miseris antedictam: quocirca fraternitatem tuam requiri mus eidem districtius iniungentes, quatenus decimalem pecuniam huiusmodi ad eandem cameram mittere, cum ea pro dictis negotiis inevitabiliter ad presens egeat, unacum residuis fructuum beneficiorum vacantium per nos dudum reservatorum ut nosci non differas nec postponas, cameram certificaturus eandem clare particulariter et distincte, quid et quantum de predictis receptum fuerit et quid etiam remanet colligendum.

Dat Avignon. 2. non. dec., a. 13.

Reg. Vat. 115 f° 13 n° 78 littera secreta.

31. Die Adressaten erhalten den Befehl, die Grafen Hugo und Rudolf von Montfort samt ihren Helfershelfern wegen der Gefangennahme und Beraubung des an den apostolischen Stuhl reisenden Propstes Nikolaus von Požsony, erwählten Bischofes von Erztergom<sup>1</sup>, feierlich als exkommuniziert zu erklären<sup>2</sup>.

1329 April 1. Avignon.

Venerabili fratri episcopo Constancien. et dilectis filiis preposito ac decano ecclesie Constancien.

20] ? Manifesta nobis et apostolice sedi irrogatur iniuria, cum venientes ad ipsam aut recedentes ab ea perturbantur iniuriis aut gravantur aliquibus detrimentis. Sane non absque gravi perturbatione perceperimus quod, cum dilectus filius Nicolaus, prepositus ecclesie Posonien. Stringonien. dioc. electus Stringonien., de Vngarie partibus, ad curiam Romanam accederet, pro confirmationis electionis sue munere obtinendo et transitum per civitatem Constantien. faceret, nobiles viri Hugo et Radulphus comites de Monteforti Curien. dioc. et quidam alii in hac parte complices et fautores, in gravem divine majestatis et nostram ac eiusdem sedis offensam, ausu sacrilego eundem prepositum necnon socios et familiares ipsius capere et detinere captivos eosque equis pecunia et bonis aliis eorundem spoliare nequiter presumpserunt. Cum autem excessus huiusmodi tanto votis nostris reddatur infestior, quanto nobis et eidem sedi gravior iniuria irrogatur, cum venientes ad eam utpote matrem cunctorum fidelium et magistrum ab aliquibus perturbantur: discretioni vestre in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus vos aut unus vel duo vestrum, si est ita, predictos comites et alios complices et fautores ipsorum, qui propter captio-

<sup>1</sup> In Ungarn, der am 17. September 1330 durch Papst Johann XXII. schon einen Nachfolger erhält; E u b e l.

<sup>2</sup> Vgl. K. R i e d e r, Quellen zur Konstanzer Bistumsgeschichte, № 824.

nem et detentionem eiusdem prepositi non solum latam a canone sed etiam per nos et predecessores nostros Romanos pontifices in certis precipuis ecclesie Romane solemnitatibus in omnes, qui venientes ad sedem prefatam vel recedentes ab ea capiunt, spoliant vel detinent seu perturbant prolatam excommunicationis sententiam incurrerunt, tamdiu excommunicatos publice nuntietis et nuntiari faciatis et ab omnibus artius evitari, donec prepositum, socios et familiares predictos pristine libertati restituerint et alias competenter satisfecerint de premissis et cum nostrarum testimonio litterarum ad dictam sedem venerint absolvendi.<sup>1</sup>

Dat. Avignon. kalendis apr., a. 13.

Reg. Vat. 90 fo 246, n<sup>o</sup> 1636.

*32. Bischof Aymo von Sitten erhält den Befehl,  
den durch ihn ungerecht eingekerkerten Augustinerprior von Augsburg,  
Wilhelm von Crista,  
freizulassen oder sich darüber beim Papste zu rechtfertigen.  
1329 August 17. Avignon.*

Venerabili fratri Aymoni episcopo Sedunen.

8 A. C.] Pro parte dilecti filii Guillermi de Crista, prioris prioratus S. Jacobi Augusten. ordinis S. Augustini, nobis cum gravi querela extitit intimatum, quod licet ipse tibi minime sit subiectus tamen eundem absque causa iusta tuis carceribus mancipasti et per spatium unius anni cum dimidio tenuisti et adhuc detines strictis carceribus mancipatum nolens eum pristine restituere libertati. Quare pro parte sua nobis extitit humiliter supplicatum, ut ipsum liberari a predictis carceribus mandaremus: quo-circa fraternitatem tuam monemus rogamus et hortamur attente, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus eundem priorem de predicto carcere studeas expedire vel saltem in dilato de causis detentionis ipsius rationabilibus, si quas habes, nos per litteras tuas studeas reddere certiores.

Dat. Avignon. 16. kal. sept., a. 13.

Reg. Vat. 91 fo 272<sup>v</sup> n<sup>o</sup> 2791.

*33. Die Vereinigung der Pfarrkirche von Moudon  
mit dem bischöflichen Mensalgute von Lausanne wird widerrufen.  
1329 September 22. Avignon.*

Ad futuram rei memoria m.

24.]<sup>1</sup> Romanus pontifex, cui ecclesiarum omnium et eccl. bonorum dispositio plenaria divinitus est commissa, ecclesias et bona earum inter-

<sup>1</sup> Aus der Rubrik des Reg. Aven. 35 fo 5<sup>v</sup> n<sup>o</sup> 189.

dum unit, subicit et concedit, interdum vero exunit et dividit, prout secundum providentie sue salubre consilium, locorum et temporum conditione pensata, conspicit expedire. Sane sicut oblata nobis ven. fratris nostri Johannis episcopi Lausenan. petitio continebat, olim bone memorie Petro episcopo Lausenan., proximo predecessore eiusdem Johannis episcopi, tunc vivente significante nobis, quod ipse et ecclesia Lausenan. gravibus erant oppressi oneribus debitorum, ad quorum relevationem et ad debitam hospitalitatem et alia eis incumbentia onera supportanda eorum facultates minime suppetebant ac supplicante nobis, sibi et dicte ecclesie super hiis per sedis apostolice providentiam subvenire. Nos volentes ipsis de illo in hac parte subventionis remedio providere, per quod comodius possent a predictorum onerum sarcina liberari dictamque hospitalitatem tenere et supportare alia onera supradicta, parochialem ecclesiam de Melduno Lausenan. dioc. ad eiusdem episcopi Lausenan. collationem spectantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis episcopali mense Lausenan. auctoritate apostolica in perpetuum connecti mandavimus et unire, certis super hoc per nostras litteras executoribus deputatis, qui postmodum, cum dicta ecclesia per obitum quondam Petri Salterii rectoris eiusdem ecclesie vacavisset, eandem ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem mense auctoritate apostolica perpetuo unierunt et etiam applicarunt. Verum ex eo, quod dicta ecclesia de Melduno in solemniori loco et capite totius terre dil. filii nobilis viri Ludovici de Sabaudia domini Vaudi consistit et non per vicarium regi sed gubernari consueverit per rectorem, propter unionem predictam in populo dicti loci de Melduno, grave scandalum est exortum, propter quod prefatus Johannes episcopus, qui gaudere non poterat comodo huiusmodi unionis, nobis humiliter supplicavit, ut unionem et applicationem huiusmodi dissolvere et cassare, dictamque ecclesiam a predicta mensa exunire et eam in pristinum statum, in quo erat ante unionem huiusmodi, reducere dicteque mense de recompensatione alia providere paterna diligentia curaremus. Nos itaque propter predictas causas eiusdem episcopi supplicationibus inclinati, predictam ecclesiam de Melduno eidem mense ut premittitur unitam cum omnibus juribus et pertinentiis supradictis a predicta mensa auctoritate apostolica totaliter exunimus, dictam unionem et applicationem de ipsa mense predicte factas et litteras nostras super huiusmodi unione et applicatione confectas auctoritate predicta cassantes totaliter ac etiam revocantes, volentes quod prefata ecclesia deinceps non per vicarium sed per rectorem proprium debeat gubernari. Decernentes etiam exnunc irritum et inanum, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc.

Dat. Avinon. 10. kal. oct., a. 14.

Reg. Vat. 93 n<sup>o</sup> 189.

